



Feb. 17.











COLMARVM IN MISNIA  
MONTISENCOMIVM,

una cum Enarratione,

CELSISSIMORVM,  
ELECTORIS AC DVC: SA-  
XONIAE, VENATORII OLIM, PROPE LEI-  
SNITIVM, EXERCITII, CIRCA ANNUM:  
SaXo MeVs, GEORGVS, VaLeat, DVX VI-  
Vat, IanVs.

In recordationem, Honorem atq; observationem,  
*Serenissimi atq; Potentissimi Principis ac Do-*  
*mini, Domini IOHANNIS GEORGII, Ducis*  
*Saxoniae, Juliae, Cliviae & Montium; S. R. Imp. Archimar-*  
*schalli & Electoris, Landgravij Thuringiae, Marchionis*  
*Misniae, Burggravij Magdeburgensis, Comitis de*  
*Marcâ & Ravensburg, Domini in Raven-*  
*stein; Principis ac Domini mei*  
*Clementissimi.*

Versibus Elegiacis adumbratum à  
*M. Gulielmo Vogelio, Salzunga-Verano, Poi-*  
*etâ Laureato Caesario, Decinae olim Decennio &*  
*Schönborna Septennio Ecelesiast: iam I. C.*  
*Extorre.*

Churfürst von Sachsen Johann Georg *avaypa m:*  
Von Gott für unsr Sache zch sorg.  
*Jan*

Quod ab omni sit & hac parte Secundum  
Duce Ihovah, Comite Arte, atq; Labore.

**R**omanas freno liceat mihi cogere voces:  
Ut discant Elegi Carminis ire pede.  
Hæc licet, illave syllaba claudicet, osse refracto  
Cruris; nec parili vadat ubiq; gradu.  
Da veniam (Princeps longè In-lustrissime!) pronam:  
Qui superas alios mille, Decore, Duces.  
Temporis hæc etenim perversa angustia jungi  
Molliùs ac meliùs verba Latina vetat.  
Aura mihi, cœlestis ades! ne sperne vocantem,  
Canturo vires suppedita facileis.  
Te sine, nil altum Mens incoat: omnis acumen  
Ingenij cadit: & langvet amor Studij.  
Tu mihi Dux recti: mea Lux, in tramite, certa:  
Quam, verâ captans, invenit omne, Fidè.  
Musa licet non Sacra ferat: licet ista profana,  
In Christo quod quis perficit, omne Sacrum est.  
Quando Creaturam per Te, Cano laude, Sacratam:  
Vsq; Creatorem Te decoro per Eam.  
Tu quoq; Saxonix Celebris, Dux Celse, Secundum,  
Post Summum, Numen, Lumen & orbis, ades!  
Ac facileis ædeis oculorum redde vacivas:  
Ut migrare queant, quò decet, ista metra.  
Cantabo montem, qui vertice Sidera tangit:  
Infima qui non est Gloria Misniadum.  
Dignus erat Mons hic famâ super æthera notus;  
Quem majjore catus tollat honore Maro.  
Canto Voluptatem vestram (Celsissime Princeps!)  
Et Venatorum Gaudia canto sacra.

Canto



Canto Dei donum, sacrum, tectum, omnigeno usu  
 Canto Tui, Princeps, Culmina Grata Soli.  
 Nunc placet (in docto licet hoc) adtingere versu  
 COLMÆVM MONTEM, non procul OSITIO.  
 Non procul a MVEGELA Sacra situs alter Olympus  
 Non à Calbitij finibus ille procul.  
 Fallor? an hic ater Mons à Carbonibus atris.  
 Nomen habet? TEVTO priscus habere putat:  
 Romani a Celso dixere Cacumine CVLMEN  
 Adridet potitis: si petis e Latio.  
 An magis a Sacris, Musis sunt dicta, colendis  
 hæc juga? Nam COLMÆ significant: COLE ME.  
 Sunt etenim hæc nimium juga cuiq; colenda propinquo.  
 cum centum valeant Dotibus Illa bonis.  
 Ecce! sita in medio Terræ, quæ MISNIA fertur,  
 Rex quasi, qui medium gaudet habere locum.  
 Lipsiaci linquens si dulcia gramina Campi,  
 e portâ celerem protrahis inde pedem,  
 Principis ad sedem, Dresdæ quæ nomine gaudet,  
 Ille viatori Mons citò monstrat iter.  
 Si quis ad ingenuas Arteis agitatur emendas:  
 Hinc ad Lipsensem pergere monstrat agrum.  
 Fallor? an Hoc alti vexilli Lamina præstat?  
 Quæ molli nimium desuper ære micat?  
 An non & plures Mons hic habet utilitates?  
 Suppeditat famulis commoda mille suis.  
 Esuriat si quis: gratis hinc mollia Dumi  
 decerpit Mora: haut interit, ære carens.  
 Ablatum hæc, plenis calathis, Pueri atq; Puellæ  
 adveniunt juvenes: adveniuntq; Senes.

Quisquis es, exclamat Mons hic Sacer; impia egestas,  
quem premit atq; fames: me pete: ne pereas.  
Si quem dira arctat Sitis: En Caupona propinqua est:  
Quæ valet e votò pellere rite Sitim.  
Quod si Te nimitum quatit intolerabile Frigus:  
Si placet: adscendas CVLMINA nostra: cales.  
Tam scio: quàm, me vivere: plus satis inde calesces.  
Sin non vis: Sunt; qui vendere ligna solent.  
Sin calor est nimius: Zephyrismotantibus, Umbra  
Robore sub denso 'st Dulce Refrigerium,  
Si quujus vituli Taurive fame esse videntur  
Exanimes: COLMIS gramina grata ferat:  
Aut vaccam in Campi viridantia pascua ducat:  
Ipsa sibi placitum carpas avara cibum.  
Haut frustra admotis pressabit is ubera palmis,  
Distentam dulci lacte videbit ovans.  
Quin erit (Andinus vates ait) optima torvæ  
forma Bovis: Cervix plurima: Turpe Caput:  
Et crurum tenuis a pingvi palearia mento  
mollia pendebunt. Omnia Magna Bovis.  
Nec modus ullus erit Lateri longissimo: Ocellis  
adspiciens, grateis lætus ages Superis.  
Pingue solum cupiens Robustis vertere Tauris,  
plurima, procurvâ, Gramina, falce seca,  
Illaq; cum fluvij, robustaq; farra ministra,  
post pingui & denso promove aratra bove.  
Quod si cura Tibi pecoris non ultima Equini;  
Arvaq; præpingui vis saturare fimo,  
Ac per Equos æquor scindendum vomere acuto:  
Doctrinam dederò quam Tibi, disce bonam.

Hos,

Hos colleis supera, Curas impende Sacratas,  
florenteis herbas falce secare le vi.  
Post, campo latè tonso memor esto caballi:  
ut validum reddas gramine multiplici.  
Aut, si Nobilior sit Equus Generosus, avenæ  
ne parcas: Decies ille meretur eam.  
Quà careas si forte bonam Tibi suppeditabunt  
Radices hujus CVLMINIS ætherij.  
Ut recreet vires aliud pecus: hæc juga possunt  
grato Lanigeras pascere pabulo oveis  
Non cantabo Nuces dulces: Sylvestria Pruna:  
cum rubeis Cerasis: mollibus atq; Pyris.  
Non celebrabo metro varias recto ordine baccas:  
Quas hinc inde bonas Culmina Sacra danunt.  
Non elegis quernas psallam longo ordine glandeis:  
Et fructûs alios Arboris innumeros:  
Sanguineo Pruni pendentia Pruna Colore,  
lætifici ac Mali mitia Mala tacens.  
Quid Medicos referam, numero sine & ordine, Flores  
Quos Montis, cornu dixite, fundit Humus?  
Non, apibus gratum Tiliæ bene olentis odorem:  
Non Hortos, centum fructibus aureolos.  
Non animus mihi, multiplices extollere rivos  
Fontium, in hoc Montis quos reperis aditu.  
Mespila conticeo: quibus hic Mons clarus abundat.  
Non erecta olim Ferrea Signa canam,  
Fallor? an ante annos (plus) mille erecta fuerunt?  
suffecta Antiquis & nova labilibus?  
Fallor? an ante annos bis denos Alter Achilles  
Dux, Nova, Saxonix fixit, amore Loci?

Venandi cervos me p̄nē oblivio cepit ;  
 auritos Lepores ; atq; Meleis & Apros ;  
 Capreolos, gelido, celeri pede, Monte, fugaccis ;  
 Qui permagno illuc agmine se glomerant,  
 Quando ruit , jubare exorto, delecta Iuventus,  
 Saxonix̄ proceres ; Retia rara ; Plagæ ;  
 Vis & odora canum, gravia & venabula ferro,  
 Exspectant Dominum simplicitate, suum.  
 Progreditur Princeps, magnā stipante catervā,  
 depictā Chlamyde, cinctus utrumq; latus ;  
 Ex humero pharetram gestans & Spicula centum,  
 Troius Æneias Dux ut apud Tyrios.  
 Infert Se Socium Daniæ Inlustrissimus Heros,  
 Agmina qui jungit, tela sonans Humeris,  
 Addit se Comitem, AVGVSTVS, Celsissima Proles  
 SAXONIS, Aoniij Plantula Scita Chori.  
 Præ reliquis heic Magnanimum, DVX IANE. GE-  
 ORGI,  
 Te præstare Virum cerneris ac facilem.  
 Proh ! Quàm quatrupedante nimis properare caballo !  
 Quàm Cervo levior, Impiger ibat Equo !  
 Aërium rapi & aligerum jurare volassem,  
 spumante, huc illuc alite Bajulo agi.  
 Currebat per se Tuus, ad Prædæ, acer Honores ;  
 cumq; hortareris ; fortior ibat Equus.  
 Saxonix̄, Gens Nobilior vestigia servans  
 Heroum, longo HOS agmine consequitur.  
 Cum ventum in tumidi Spaciosa Cacumina Montis :  
 Et Conspecta catis invia lustra viris :  
 Ecce ! feri, Montis dejecti vertice, Cervi,  
 decurrunt, liotis ( Gaudia Magna ! ) jugis.

Tranant

Σταδίων  
 ἢ ἰσχυρῶς  
 volare.

Tranant Cursu alia campos de parte patenteis:  
 Agmina qui glomerant pulverulenta, fugâ.  
 At Dux Magnanimus, medijs in vallibus, acri  
 gaudet Equo: cursu hos præterit; atq; alios.  
 Spumantemq; dari, nimium, inter inertia Bruta,  
 gestit Aprum: aut fulvus linquat opaca LEO.  
 Mox rigida intonsi conscendit Culmina Montis:  
 prospectum late concipit omnigenum,  
 Cernit Avi AVGVSTI (sua Gaudia læta) stupendam  
 Arcem: quam celebrant Gallus & Ausonius.  
 Oppida Mille videt: Pagos quoq; Mille: Superbas  
 Arces: quæ tumidis usq; rigantur Aquis.  
 Corpora Cervorum Decem inertia Cornigerorum  
 prospicit: ac AproS Sangvineos quatuor.  
 Quos, Tota erranteis à tergo Armenta sequuntur.  
 Per valleis longum pascitur Agmen Aprum.  
 Constitit Arcitenens, DVX JANVS GEORGIVS,  
 Heros  
 Saxoniz Procerum SOL, DECVS, OCEANVS.  
 Iamq; globos; jam Curvum Arcum, celereisq; Sagittas,  
 contripuit: labi Corpora Dena facit.  
 Cervos Ductores primitim, capita alta ferenteis  
 Cornibus arboreis sternit: humiq; sinit.  
 Post, omnem trucibus, nemora inter frondea, Turmam  
 miscet agens, telis. (DVX, Famuliq; stupent.)  
 Nec prius absistit: bis Dena Ingentia, Victor,  
 Corpora fundit Humi: ac æquat ijs digitos.  
 Post, lassus nimis, imponit Colophona labori.  
 OSITIVM, inq; Vrbeis Præda alias vehitur.

Al: υπαλλα  
 γη pro eor  
 digitis.



*Evdiã dvoiv,*

Et sic Vmbriferi frondosa Cacumina Montis  
linquens, Acropolin, Coldiciũmque petit.  
Agmen Amicorum mediã procedit in Aulã  
COLMARVM Montis: Quem sine fine vocant,  
Prædæ se cingunt Alij: Dapibusque futuris,  
Viscera nudantes, Tergora diripiunt.  
Frustra secant alij, verubusque trementia figunt.  
Hi dant flammam, Alij fervida athena locant.  
Post victu revocant vires, virtute potentes,  
Davidi Rēgi religione pares,  
Inclytus Elector, Verbis gravis atque decōris  
gestibus, Insignis Gloria Saxoniz,  
Ac virtute, fide, Nulli, pietate secundus  
IANVS - GEORGIVS Huic par, Sapiens Salomon.  
Germanus - Scipio, Saxo - Otto, Græcus Achilles,  
Dux pius ac Sapiens, fortis item atque potens.  
Impiger ac justus, cui non Europa videbit  
Mente, animo, verbis, pectoribusque parem.  
AVGVSTVS quoque prælustri, Daniæ Inclytus Heros  
Ulricus, Celsus foemineusque Chorus.  
Misnica sumebant Renanaque Munera Bacchi:  
atque cruentarum Grata Ferina Suum.  
Tanti præmij erat COLMÆVM scandere Montem,  
venatum sic huc iisse fuit volupe!  
Tantæ laudis erat cesso hoc descendere Monte  
victorem, incolumem, sanum, agilem atque eatum!  
Hac ratione, labore, modò medijsque relatis  
His auferre jugis comoda nulle potes.  
Vnus adhuc restat sanè non ultimus Vfus:  
Quem juga nostra ferunt, Quem juga Sacra ferunt.

Si

Si quis habet Gnatum qui discere iussa recusat:  
Aut Matri si non morigerum esse videt:  
Ascendat Pater ille alti citò culmina Montis:  
Amputet ac virgam: monstret eam Suboli.  
Tunc probus esse tuus cupiet Puer. Ecce! precari  
incipiet, parcas Teq; Deumq; Sibi.  
Mi Mellite Parens! per Dium Te rogo Christum:  
Natibus (Ah!) teneris (Spes mea!) parce meis.  
Per vitam Te non sum Commoturus ad Iram  
Abramo similis, relligiosus ero.  
Ti, Patri, Matri, Præceptoriq; perennem  
gessurus morem sum: decet ut Pueros.  
En! Fructus hi sunt; alijs cum pluribus: Ex hoc  
Qvos Homo frondoso, carpere, Monte, potest.  
Hæc jugacredibile 'st, Ipsum vehementer amare  
Phœbum, Visus enim 'st inde venire mihi:  
Ludere cum me jam præsentia Metra juberet,  
Saxonix tollens laude decente Ducem.  
Tum quoq; Signa dabant. Nam Dextram flosculi amœ-  
ni;  
sepserat atq; pium Pulcra Corona Caput.  
Nymphæ etiam Comites redimitæ Tempora Lauru;  
Quot love erant Summo de Genitore sata.  
Set, ne vel versus in longa volumina crescant;  
inlucio calamo fortia frena levi.  
Tu Decus Europæ! Mi Clementissime Princeps!  
aute bibens facili consule Metra boni.  
Et meus, eveniat si quando Occasio, Clemens  
Promotor, Patriæ Patris amore, sis.

Vive:

Vive! Vale innumeros Longævi Nestoris annos,  
Vive Deiq̄ memor, Vogeliiq̄ memor.

M. Gulielmus Vogelius Salizungas,  
Poeta Laureatus Cæsarius f.



NB.  
Georgus a  
Γεωργός,  
rectius quã  
Georgius.


Iohannes Georgus, Ducs & Elector Saxoniae  
Saxoniae Elector Geörgus & Ducs Iohannes,

ἀναγραμματιοδεις.

Lex ayeo. Hac ergo Duces tego Nestoris annis.

vv. v.

Churfürst Johann Georg von Sachsen. ἀναγραμματιοδεις  
Ich für vnser sach / Gan goust / vor hon.



Dresda, Excudebat Gimel Bergen,

Anno M. DC. XXV.

D















M 7270

ULB Halle 3  
002 411 148



SB


W 17

Ant.









Farbkarte #13

B.I.G.



IN MISNIA  
 OMIVM,  
 ione,

**ORVM,**  
 DVC: SA  
 LIM, PROPE LEI-  
 CIRCA ANNVM:  
 VaLeat, DVX VI-  
 S.

q̄ observationem,  
 Principis ac Do-  
 GEORGI, Ducis  
 ; S. R. Imp. Archimar-  
 huringia, Marchionis  
 gensis, Comitis de  
 mini in Raven-  
 mini mei

embratum à  
 al-VVerrano, Poi-  
 olim Decennio &  
 iast: Iam I. C.

in Georg avarpaci  
 schenſch sorg.  
 Jan